

tio ex justitia inter dominum , & servum , eo quod dominus pacifcens cum servo censem tur cedere iuri suo , ut ex Molina , & Lessio notat Sanch. lib. 7. c. 9. n. 13. sic , at ipse , ea dem obligatio oriri poterit inter Abbatissam , & monialem subditam , cum sit par ratio .

C A P U T V.

De Voto Religiosa Castitatis.

Quar. 1. **A**D quid teneantur moniales ex vi voti castitaris .

Resp. Teneri abstinere a conjugio , & ab omni actu externo , & interno , qui sit contra castitatem , ut a turpibus cogitationibus , a delectatione morosa , a pollutione , ab omni actu venereo , a turpi contactu , & ab impudico aspectu , nec non ab aliis omnibus , quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis . Hinc est , quod monialis violat votum , si se exponat periculo violandi castitatem , quia periculum illud est actus in specie luxuriae , virtuti enim castitatis opponitur ; unde monialis se exponens tali periculo , non est formaliter casta omnimoda castitate , atque adeo violat votum , quod importat omnimodam castitatem .

Quar. 2. Quænam sit regula dignoscendi , quandonam monialis graviter , vel leviter peccet contra castitatis votum .

Resp. Transgressionem voti esse mortalem in illis actibus , in quibus malitia libidinis est in secularibus mortalis , venialis vero , in quibus illa est venialis . Ratio est , quia circumstantia voti castitatis non immutat obligacionem juris naturalis , sed solum addit circumstantiam Sacriflegii , quæ circumstantia sequitur naturam actus , cui adjungitur . Lessius de jure .

& jur.

& jur. lib. 4. c. 41. n. 68. Verum aliquando verba , gestus , & tactus , quæ sunt in secularibus solum venialia posunt esse mortalia in moniali ; quia secularares talia observantes in religiosa gravide scandalum posunt concipere , maxime , quia virgo Deo dicata debet esse , & appetere ab humboldi actibus aliena . Ad maiorem ramen claritatem pro praxi sequentia quæsita subiungimus .

Quar. 3. An peccet mortaliter contra votum monialis tangens manum , faciem , bacchiam , & pedes alicuius viri .

Resp. Ex Tamb. lib. 7. in decal. c. 8. §. 2. si illi tactus fiant ex joco , levitate , & curiositate , nihil habent mali praeter plaus jocum , quia ut sic non aliam nisi naturalem patiunt delectationem . Si fiant ob solam delectationem non libidinosam , & ea delectatio assumatur quidem , sed non ad ullam libidinem venream , peccat venialiter , quia ex una parte non habemus , unde ut sic sub mortali prohibita sit , si enim esset prohibita , inde esset , quia ad generationem , quæ sit illicita , refertur . Cum ergo illi actus , neque delectatio non referantur , non erunt mortaliter peccaminosi ; & ex alia parte deordinatione nonnulla est , atque adeo venialis , iis uti actibus ob meram delectationem licet levem . Si vero fiant animo libidinoso , claram est peccare mortaliter .

Quar. 4. Quid dicendum sit de aspectibus .

Resp. Monialem aspicientem partes viri hominas ex curiositate , levitate , aut vanitate , non ulterius progredientem , peccare tantum venialiter , quia in hoc non intervenit tanta in honestas , nec provocatio tanta ad malum , sicut in tactu . Trullenc. in decal. lib. 6. c. 1. dub. 12. n. 13. Si vero aspiciat vel hominem nudum ,

vel partes ejus in honestas tantum, non est datum peccare mortaliter, quia tales aspectus multum incitant ad libidinem, & quia id valde repugnat cum honestate naturali, & multo magis cum honestate Virginis Deo dicatae, & Sponsæ Christi. Diana p.3 tr.5. ref. 89. Unde ob hanc rationem non liberarem a peccato mortali monialem aspiciensem brutorum concubitum, vel eorum partes in honestas turpiter commotas; non enim levis Christi injuria est, suam Sponsam, quam decet sanctitudo, in talibus occupari. Oppositum sentit Granado apud Dianam t.8. in opere Coord. tr.6. ref. 19. si fiat ex levitate aut curiositate; sed in his caute procedendum.

Quar. 3. An monialis turpia loquens, legens, audiens, vel canens, non gratia venerea delectationis caprandæ, sed cuiusdam variæ solatii, vel ob aliam vanam causam, peccet graviter contra votum.

Resp. Cum D. Anton. Navar. Graff. & aliis peccare tantum venialiter, dummodo absit scandalum; quia illa delectatio remote disponit ad venerem, nec vehementer naturam commovet. Quia tamen natura est valde corrupta, sensusque nostri sunt valde ad malum proni, caveant proinde, & diligenter caveant moniales. Quia, ut ait Augustin. t.1. Confess. c. 16. per hæc turpitudo confidentias perpetratur. De audiente turpia idem dicendum, etiam si rideat, & similate gaudium præferat, carens tamen delectatione venerea, ne inurbana habeatur, ac de hypocrisis virtus notetur. Quoniam risus ille, & gaudium, potest esse de artificio, & lepido dicens modo, ex quo cessat ratio scandali activis ex alia parte absunt delectatio, & finis mortalium,

solumque intenditur liberari a molestia, & hyprocrisis censura.

Quar. 6. An monialis scribens literas amatorias ad vanum conciliandum amorem ob fidam vanitatem, levemque delectationem, peccet mortaliter.

Resp. Sanch. de matr. lib.9. disp.46. n.37. non agnoscit nisi culpam venialem, quia nec delectatio, nec amor intenta eam exceedant. Aeriter tamen increpant Confessarii, quia Sponsa Christi nullum, præter cum, debet admittere amatorem.

Quar. 7. An peccet monialis recipiendo munera ab eo, a quo dubitat turpiter amari.

Resp. Si certo sciret, mortaliter certe peccaret, etiam si reciperet absque ulla prorsus intentione, immo cum proposito firmo non consentiendi, quia illa receptio soveret pravam voluntatem mittentis munera; si vero tantum dubitet, peccati non damnat Tamburinus, quia cum talia munera possint mitti etiam ex titulo honesta amicitia, ex hoc potius, quam ex alio judicare debemus fuisse missa; nemo enim presumendus est, nisi constet, delictum velle committere. Periculosa tamen sunt hæc, unde consulo, omnimode abstinentem.

Quar. 8. An monialis, quæ persuasione, vel cooperatione concursit, ut alius a de concubinam, peccet contra suum votum castitatis.

Resp. Negant Sanch. Castropal. Arriaga, & Caramuel in Theol. regular. n. 986. Quia monialis non facit contra castitatem suam, sed contra castitatem tertii. Tenetur tamen explicare statum peccantis, cui fuit occasio peccandi contra sexum. At probabilius censio contra suum castitatis votum peccare;

nam votum castitatis religiose, quia est absolum, continet omnimodam castitatem, ut communiter tradunt Theologi. In omnimoda autem castitate continentur castitas, quæ avertit actus versantes in luxuria aliena, atque adeo votum monialis, quod est de omnimoda castitate, includit actus versantes in luxuria aliena; unde suasio illa, vel cooperatio ad fornicationem erit contra votum castitatis.

Quer. 9. An monialis, quæ sine delectatione propria sensuali, & sine periculo asensus in propriam delectationem (si hoc est possibile) tactibus alium polluit, peccet contra votum castitatis.

Resp. Negant Caramuel, & Lamas, quia, sicuti potest monialis cooperari, ut Joannes, v. g. reddat debitum uxori, quin contra castitatis votum procedat, quia ipsa non vovit castitatem alterius, sed propriam; ita eadem de causa poterit cooperari, ut Joannes incidat in pollutionem, quin frangat votum castitatis, cum ipsa non vovet vitare pollutionem alterius, sed propriam. Hac opinio prouersus rejecenda, sicut eam rejecit, & expunxit Tribunal SS. Inquisitionis Hilpaniæ. Ratio est, quia si daretur casus, quod monialis sine propria delectatione succubaret mæcho, adhuc tamen peccaret contra propriam castitatem, quia abuteretur membro suo ad impudicitiam mortalem, cum ergo etiam in tactibus procurantibus alienam pollutionem aliqua sua parte abutatur, etiam si hoc sit sine propria delectatione, peccabit mortaliter contra castitatem.

Quer. 10. An monialis, quæ antequam emitteret votum solemne castitatis, erat ad stricta etiam simplici, teneatur, si fornicetur, utrunque circumstantiam fateri.

Respo.

Resp. Non teneri, quia solemne votum a simplici non differt specie, sed solum extrinseca, & accidentaliter differentia; extrinseca enim tantum Ecclesiaz constitutione secernuntur, quatenus decernit per votum solemne, non sic per votum simplex castitatis dirimi matrimonium. Ecclesia autem rai naturam non immutat, sed robur adjungit. *Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 25. n. 6. & disp. 27. n. 7.* Erit tamen diversa malitia necessaria in confessione fatenda, si voto additur sibi juramentum, quia diversa ratione pertinent ad eandem virtutem. Nam votum pertinet ad virtutem religionis ob fidem Deo servandum; juramentum vero, ne Deus falso adducatur in testem. *Sanch. ubi sup. n. 16.*

Quer. 11. An tactus, cogitationes, desideria, confabulationes, nutus, & aspectus dishonesti in Ecclesia habeant diversam specie malitiam, quam debeat monialis in confessione aperire.

Resp. Negative, quia tota sacrilegii mortalis deformitas ex loci sacri pollutione petenda est; per tactus autem, & reliqua non polluitur Ecclesia, sed tantum per injuriosam semen effusionem, aut sanguinis, c. unic. de conser. Eccl. in 6.

Quer. 12. An semen occulta effusio in Ecclesia sortiatur diversam specie malitiam, necessario in confessione aperiendam.

Resp. Sortiri malitiam sacrilegii in confessione aperiendam. Ita communiter Doctores, teste Tambur. lib. 7. cap. 4. S. 1. n. 8. quia talis effusio ex eo, quod sit occulta, non desinit esse injuriosa Ecclesiaz, per consequens non desinit esse pollutiva; nam pollutio est inducta in detestationem talis injuriaz, unde neque desinit esse sacrilegia. Sicuti furtum non sacri

saci de sacro non desinit esse injuriosum Ecclesiae, quia occultum, & sic non desinit esse sacrilegium. Oppositum docet Vasquez, & Pontius lib. 10. c. 10. n. 25. citans alios, & dicens esse communem sententiam, quia per oculatum seminis effusionem Ecclesia non polluitur, sed publica requiritur; nam pollutio non afficit revera Ecclesiam secundum se, quasi in se ipsa polluantur, sed tantum afficit in opinione hominum, qui apprehendunt ejus sanctitatem quasi macularam, juxta cap. Quidam 1. q. 1. & notant communiter cum Gl. in 6. un. de consecr. Eccl. vel altar. in 6. Ergo causa pollutiva non potest inducere pollutionem nisi sub conditione publicitatis.

Quar. 13. Quot peccata committat monialis violans votum castitatis.

Resp. Præcisus circumstantiis personarum, cum quibus violat votum, duo peccata committere, scilicet fornicationis, quia violat castitatem, & sacrilegii, quia ratione voti emissi talis actus opponitur virtuti religionis. Alii alias agnoscunt malitias, & volunt, peccare monilem peccato futili, quia contrectat rem alienam, scilicet seipsum, invito Domino, cui se totaliter obtulit; insuper peccato adulterii, & incestus, quia monialis est sponsa Dei, qui est Pater noster, & consequenter est consanguinea nostra, cum omnes simus filii Dei; item peccato contra naturam, quia est peccatum cum religosa, quæ est mundo mortua. Hæc tamen omnia metaphorice potius, quam realiter malitias diversas specie important; unde aggravare concedo, mutare speciem non admitto.

Quar. 14. An superfluous ornatus in moniali sit dammandus sub gravi.

Resp.

Resp. Si se ornaret adhoc præcise, ut censeatur inter pulchras, & laudetur ut pulchra, mortaliter non peccare, quia id non continet gravem deordinationem, sed ad summum vanam quandam gloriam coram hominibus. Suppono, quod ornatus a finibus religiosi status non exeat, & quod cetera omnis ratio scandali non solum penes secularares, sed etiam penes alias forores. Ceterum comam nutritre, propter bitum esse monialibus, quidam volunt, Consuetudin tamen standum est. Nullatenus vero permittendum uti tortis, seu comatis capillis, aut non cooperitis comis. *Suar. 1.4 de Relig. rr. 9. lib. 1. c. 12. n. 4. & 5.*

Quar. 15. An licet monialibus choreas inter se agere?

Resp. Non licere, quia in Clementina de statu Monach. c. 2. expreste ipsis prohibetur, ibi, Non choreas, non festa secularium prosequantur. De peccato tamen mortali non audet eas damnare Tambur. in decal. lib. 7. c. 8. §. 7. n. 6. si forte ex aliqua occasione puras choreas agant ob recreationis gratiam, non tamen publice, & in praesentia secularium, ut indicat Baldel. lib. 3. D. 32. n. 16. Ob hanc quoque rationem possunt deferre larvas, dummodo ceteri periculum scandali, juxta citatos Doctores.

Quar. 16. An moniales peccent dimittendo habitum ad aliquam honestam representationem faciendam inter ipsis in monasterio.

Resp. Mortaliter peccare, docent alqui, quos suppresso nomine refert Lezana in sum. tom. I. c. 13. n. 5. Venialiter tantum, videntur sentire Baldel. & Pellzar. Nullo modo peccare, sustinet ex Sylvestro, & Paillarello Peyrin. in Comment. ad Reg. Minim. c. 3. §. 5. q. 2. n. 3. quia non videtur sequi levis dimissio, quæ fit

fit honestæ recreationis causa, cum dictæ recreations sint actus virtutis Eutrapeliae. Hinc notat Texeda Theol. mor. t. 1. lib. 2. tr. 1. contr. 6. D. I. neque in excommunicacionem incidere, etiam si coram secularibus representent; quia illa habitus dimissio nec est teneraria, nec ad vagandum, nec ex contemptu legis ordinata. Sententio noster: dominus cum Lezana, id propter naturæ imbecillitatem, & corruptionem, semper esse pericul sum.

Quer. 17. An liceat monialibus aliquas representationes facere in Ecclesiis.

Resp. In honesta representatione in Ecclesia peccatum mortale est; vana, & secularia, non tamen multum turpia, veniale; devota, & sacra, caret culpa. Ratio horum omnium est, quia in primo casu interrogatur Deo, & Ecclesiae magna irreverentia, in secundo medica, in tertionalula. Sanch. opusc. lib. 1. c. 8. dub. 24. n. 18. Verum Gavant. in Enchir. Episc. versus representationes sacrae n. 1. oppositum sustinet cum Barbosa etiam quo ad spiritualia, & observat, quod S. Carolus in Concil. Provine. prohibuit, ut Passio Salvatoris nullibi agatur. Unde Z. rola in Praxi Episcop. I. verb. representat laudam aliorum Episcoporum zelum, sed etiam representationes sine expressa eorum licentia posse fieri prohibitum.

Quer. 18. Quænam sunt media apta ad tuendam castitatem.

Quer. Studeat monialis peccatorum occasiones fugere, otium omnium malorum parentem, certissimumque an marum exitum perhorrescere, virorum aspectus, & multo magis familiaritatem declinare, lensus accurate custodiare, præcipue visum, auditum, & tactum; nam de visu alescrit Isidorus, Oculus

est principium fornicacionis; de auditu subdit Tertullianus, Bonos corrumpunt mores confabulationes pessima; & de tactu scribit Angelicus, Tactus est altui venero cognatus, & finitus, & modico intervallo separantur ad invicem. Prodest insuper quamplurimum ad tuendam castitatem, mortis, & inferni jugis recordatio, carnis maceratio per ciborum abstinentiam, & cilicii gestationem, liborum spiritualium lectio, assidua vulnerum Domini Iesu Christi recordatio; unde dicebat D. Augustinus: Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cum me premat caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo.

C A P U T VI.

De Monialium subjectione erga suos Superiores ex vi Voti Obedientie.

§. I.

De natura Voti Obedientis, & obligatione ab ipso proveniente.

Quer. 1. Quid est votum religiosæ Obedientie.

Resp. Est promissioam, qua monialis propriam subiiciens voluntatem Superiori se obligat ad parendum in omnibus, quæ possunt cadere sub objecto virtutis obedientie. Hinc est, quod obligatio huius voti se extendit tantum ad res licitas, & honestas, ita ut cum certo constat, rem præceptam esse illicitam, & malam, aut contra regulam, vel præceptum superioris altioris, nullo pacto te-
netur.